

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2807

Auteur(s) : Alexandre III [pape]

Bénéficiaire(s) : Robert de Torigni, Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbé)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1179, 27 janvier

Lieu d'émission : Tusculum

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation des biens de l'abbaye du Mont-Saint-Michel, octroyée par le pape Alexandre III, à la demande de l'abbé Robert de Torigni.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Chronique de Robert de Torigni, abbé du Mont-Saint-Michel : suivie de divers opuscules historiques de cet auteur et de plusieurs religieux de la même abbaye*, le tout publié d'après les manuscrits originaux, Rouen, Le Brument, 1872-1873, 2 vol., t. 2, « Lettres, chartes et pièces diverses de l'administration de Robert de Torigni », n° XLIII, p. 313-321.

Texte établi d'après a

Alexander, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filius Roberto abbati monasterii Sancti Michaelis in periculo maris, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Vitam religiosam eligentibus apostolicum convenit adesse subsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito moveat, aut robur (quod absit !) sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prefatum monasterium Sancti Michaelis in periculo maris, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus ; in primis siquidem statuantes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et sancti Benedicti regulam in monasterio vestro institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, vel aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hec duximus propriis vocabulis exprimenda.

Locum in quo ipsum prefatum monasterium situm est, cum pertinentiis suis ; villam Sancti Michaelis, cum ecclesiis, passagio, justitiis, rationabilibus consuetudinibus et aliis pertinentiis suis ; ecclesiam de Ardevone, Vuinnes, Belvedere, Passum, Curey, cum ipsis villis et earum pertinentiis ; villam de Cruce, Villers, Baalent, cum earum pertinentiis ; burgum de Bevron, cum suis molendinis et pertinentiis ; Capellam Hamelin, cum molendino et aliis suis pertinentiis ; ecclesiam de Caugé, cum pertinentiis suis ; ecclesiam de Bucé, cum pertinentiis suis ; terram juxta portam Pontis Ursonis, cum pertinentiis suis ; ecclesiam Pontis Ursonis, cum decimis molendinorum et omnium reddituum castris et aliis suis pertinentiis ; ecclesiam de Genetio, cum ipsa villa, mercato, molendinis et omnibus aliis suis pertinentiis ; ecclesiam de Drageyo, cum ipsa villa, vineis, molendino et aliis pertinentiis suis ;

villam Sancti Michaelis, et centum solidos andegavensis monete annuatim de ecclesia, per manus canonicorum de Lucerna, pensionis nomine, vobis solvendo; Bacillie, cum pertinentiis suis; molendinum Comitum cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Michaelis de Lupis, cum burgello, molendino de Haya, silva de Beveya, pascuis et aliis pertinentiis suis; quicquid juris habetis in ecclesia de Argogiis.

In episcopatu vero Constanciensi, ecclesiam Sancti Paterni; ecclesiam Sancti Pancratii; ecclesiam Sancti Albini; ecclesiam Sancti Johannis de Campis; ecclesiam de Brevilla, et ecclesiam de Condevilla, cum viginti duobus parochi[an]is, silvis, pascuis, molendinis, mercato et aliis earum pertinentiis; terram de Estreis cum pertinentiis suis; ecclesiam de Focherevilla cum pertinentiis suis; villam que dicitur Sancta Columba cum pertinentiis suis; Eantot cum pertinentiis suis; ecclesiam de Cartret cum pertinentiis suis; in insula de Gersé, Petravillam cum pertinentiis suis; ecclesiam de Capella cum pertinentiis suis; totam insulam de Causé, cum pertinentiis suis; insulam de Serc cum pertinentiis suis; in insula de Greneré, ecclesiam de Gouale, et tres alias ecclesias, cum earum pertinentiis; villam de Gouale, cum molendinis, piscariis, portibus et aliis pertinentiis suis; melagium de terra comitis Ranulfi cum pertinentiis suis; terram Hugonis de Rozel cum pertinentiis suis.

In episcopatu Baiocensi, ecclesiam de Donno Johanne, cum capellis, libertatibus et aliis pertinentiis suis; villam de Donno Johanne, cum molendinis, silvis et aliis pertinentiis suis; villam de Versum, cum molendinis et aliis pertinentiis suis; ecclesiam de Brettevilla; ecclesiam de Ebreceio, et ecclesiam d'Escay, cum libertatibus et aliis earum pertinentiis; Brettevillam, cum molendinis et aliis pertinentiis suis.

Quicquid juris habetis in ecclesia Sancti Michaelis de Mercato apud Rothomagum.

In episcopatu siquidem Carnotensi, ecclesiam de Goerre, cum villa ipsa et aliis pertinentiis suis; Polleium cum pertinentiis suis.

In episcopatu Andegavensi, ecclesiam de Creant, cum vineis et aliis pertinentiis suis; in civitate Andegavensi, domum, cum vineis et aliis pertinentiis suis.

In civitate Turonensi, domum cum vineis et aliis pertinentiis suis.

In episcopatu Cenomanensi, ecclesiam Sancti Victurii, cum ecclesia Sancti Johannis, capellis et aliis pertinentiis suis; burgum Sancti Victurii, cum vineis, molendinis, rationabilibus consuetudinibus et aliis pertinentiis suis; ecclesiam de Estival, cum pertinentiis suis; ecclesiam de Danfront; ecclesiam de Livaré; ecclesiam Sancti Bertevini et capellam de Taoneria, cum earum pertinentiis; dimidium mercatum de Taoneria, cum pasnagio quod habetis in silvis Gillonis de Gorra; quicquid juris habetis in ecclesia Sancti Dionisii; Montenai, cum pertinentiis suis; Villarentoniam, cum molendinis, silvis et pertinentiis suis.

In episcopatu Redonensi, ecclesiam de Poleio et ecclesiam de Villamers, cum villa ipsa, et aliis earum pertinentiis.

In archiepiscopatu Dolensi, ecclesiam Sancti Petri de Sancto Broeladio, cum pertinentiis suis; capellam Sancti Michaelis de Monte Doli.

In episcopatu Macloviensi, ecclesiam Sancti Melorii, et ecclesiam Sancti Mevenni, cum capellis et earum pertinentiis.

In episcopatu Coriobitensi, ecclesiam de Hyrlas, cum villa de Treveruer, et aliis pertinentiis suis.

In Anglia, in archiepiscopatu Eboracensi, ecclesiam de Wath, cum ipsa villa et aliis pertinentiis suis.

In episcopatu Wintoniensi, ecclesiam de Seleburna, ecclesiam de Basinges et ecclesiam de Basingestoc, cum capellis et aliis earum pertinentiis.

In episcopatu Salesberiensis, ecclesiam de Vutona, cum pertinentiis suis.

In episcopatu Bathoniensi, ecclesiam de Mertos, cum capellis et aliis pertinentiis suis.

In episcopatu Exoniensi, ecclesiam de Ottritonia; ecclesiam de Estolleia; ecclesiam de Hartecumba, et ecclesiam de Sedemva, cum ipsis villis, molendinis, silvis, mercato, piscariis et aliis earum pertinentiis; Brudeleiam, cum silvis, pascuis, portu, piscariis et aliis pertinentiis suis; ecclesiam de Vudeberia, cum pertinentiis suis; ecclesiam Montis Sancti Michaelis in Cornubia, cum villa de Treuvarmine, mercato et aliis pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Hilarii, cum pertinentiis suis; Treurabot, cum pertinentiis suis, et ecclesiam de Moreis, cum pertinentiis suis.

Sane novalium vestrorum que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas presumat exigere. Cum autem generale interdictum fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, submissa voce, divina officia celebrare. Liceat quoque vobis clericos et laicos liberos et absolutos a seculo ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, nisi obtentu arctioris religionis, fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. In parochialibus autem ecclesiis quas habetis liceat vobis clericos et sacerdotes eligere et episcopo presentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus animarum curam

committat, ut ei de spiritualibus vobis de temporalibus debeant respondere. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars sanioris consilii, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum in quibus mortuorum corpora assumuntur. Preterea, sub interminatione anathematis prohibemus ne quis peregrinos qui orationis causa ad vestrum monasterium veniunt depredari, aut aliam molestiam seu gravamen ipsis irrogare, presumat. Interdicimus etiam ne quis in vos vel in ecclesias vestras novas et indebitas exactiones presumat imponere, aut excommunicationis vel interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa promulgare. Decernimus ergo ut nulli omnino fas sit prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva apostolice auctoritate sedis et diocesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura sua servantibus sit pax Domini Nostri Jhesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud supremum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Ego Alexander, catholice ecclesie episcopus, subscripsi.

Ego Hubaldus, Hostiensis episcopus, subscripsi.

Ego Johannes, presbiter cardinalis Sanctorum Johannis et Pauli tituli Pamachii, subscripsi.

Ego Johannes, presbiter cardinalis tituli Sancte Anastasie, subscripsi.

Ego Johannes, presbiter cardinalis tituli Sancti Marci, subscripsi.

Ego Petrus, presbiter cardinalis tituli Sancte Susanne, subscripsi.

Ego Petrus, presbiter cardinalis tituli Sancti Grisogoni, subscripsi.

Ego Vivianus, presbiter cardinalis tituli Sancti Stephani in Celio Monte, subscripsi.

Ego Arduinus, presbiter cardinalis tituli Sancte Crucis Jherusalem, subscripsi.

Ego Matheus, presbiter cardinalis tituli Sancti Marcelli, subscripsi.

Ego Jacinthus, diaconus cardinalis Sancte Marie in Cosmidin, subscripsi.

Ego Rainerius, diaconus cardinalis Sancti Georgii ad velum aureum, subscripsi.

Ego Gratianus, diaconus cardinalis Sanctorum Cosme et Damiani, subscripsi.

Ego Johannes, diaconus cardinalis Sancti Angeli, subscripsi.

Ego Rainerius, diaconus cardinalis Sancti Adriani, subscripsi.

Ego Matheus, diaconus cardinalis Sancte Marie Nove, subscripsi.

Ego Bernardus, diaconus cardinalis Sancti Nicolai in carcere Tulliano, subscripsi.

Datum Tusculani, per manum Alberti, sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis et cancellarii, VI kalendas Februarii, indictione XII, incarnationis dominice anno M° C° LXX° VIII°, pontificatus vero domni Alexandri pape III anno vicesimo.